DE
ACNE ROSACEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXV.
HORA XI.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS HUGO FRASCH,
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
H. DOEHLERT, CAND. MED.
H. HÖYNK, CAND. MED.

HALAE,
FORMIS PLOETZIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quamquam mihi quidem illud Celsium „paene ineptiae sunt curare varos et lenticulas et ephelidas“ minime ignotum est, tamen hoc genus exanthematis non indignum esse, quod diligentius exquiratur accuratiusque describatur, satis, ut ego quidem existimo, inde elucet quod multi viri artis medicae peritissimi de eaque excolenda optime meriti exstiterunt, qui hanc rem attentius cogitarent de eaque uberius copiosiusque scriberent. Qua re haud vereor, nc quis mihi in opprobrium vertat quod in hacce dissertatione inaugurali, qua id potissimum specto ut ego quoque secundum morem majorum summos honores artis medicae et chirurgiae rite impetrem, accuratius disserere ausus sim de illo genere exanthematis, quod nihil aliud esse quam speciem vari seu acnes haud pauci viri arte medica eruditissimi in scriptis suis judicaverunt atque argumentis plus minus gravibus confirmarunt. Ac primum quidem ex mea sententia dubium non est, quin hoc genus morbi, in quo exquirendo explorandoque versari hoc loco mihi proposui, non solum apud omnes viros arte medica eruditos nostrae aetatis pervulgatum sit, sed etiam viris illis non ignotum fuerit, qui temporibus et prioribus et antiquissimis medicinam exercuerunt atque de morbis arteque

medendi scripserunt. Quamquam enim non ignoro, vocem acnes, quod nomen ab omnibus, nisi fallor, viris nostrae aetatis arte medica eruditis inditum est morbo illi, de quo in hac dissertatione agitur, usque ad Aëtii aetatem apud fere nullum auctorem inveniri, sed etiam inde a tempore Aëtii usque ad hanc aetatem hujus vocis non ita multis locis mentionem fieri, tamen satis mihi constat atque cognitum et compertum est, vocibus illis „ionthi“ et „vari“, quae non minus saepe inveniuntur in scriptis eorum, qui ante Aëtium vixerunt quam eorum, qui post illum virum usque ad hanc aetatem vixerunt, vocibus illis „ionthi“ et „vari,“ dico, nullum alium morbum significari, quam quem primus Aëtius acnen nominavit et nostra aetate omnes medici appellant acnen disseminatam. Quam sententiam a me summo jure proponi atque probari, satis intelligi potest ex verbis Pollucis[1]) neque minus apparet ex his, quae Cassius[2]) dixit. Quae cum ita sint, proximum est, ut subtilius explicemus, quae sit vera notio morbi illius, quem nos acnen dicimus. Neque scio an nemo neget, voce acnes significari aegrotationem quandam, qua et folliculi sebacei folliculique pilorum et tela conjunctiva, quae illos quasi cingit, ita inflammata sunt, ut multa tubercula rubra gignantur in eorumque majori parte paullo post pustulae, quae tum in plusve minusve crassam crustam vertuntur. Satis enim inter omnes constat, illorum tuberculorum par-

---

[1]) Julius Pollux, Onomasticon libr. IV. cap. 25. dicit: „Jonthi, flores cum papulis cira faciem, vigoris signum.“

[2]) Cassius in problemat. 33 de quaestione agit: „Cur in facie vari prodeunt fere in ipso aetatis flore vigoreque (quapropter et ἀκμάς, id est vigores, idiotarnm vulgus eos nuncupat.“

tem multo minorem nihil puris movere. Quam rem medici illi, qui prioribus temporibus vixerunt, oriri judicaverunt ex magna sebi copia in folliculis sebaceis cumulata, unde censueruut fieri, ut non solum folliculi, sed etiam tela conjunctiva inflammarentur, eaque de causa praeter alios Alibertus, Biettius, Fuchsius statuerunt, primum gigni pustulas purulentas, et acnen posuerunt in exanthematis pustulosis. Alii medici docti, imprimis Gustavus Simon originem totius mali repetierunt ab incenso rete vasorum, quod folliculos sebaceos cingit, et arbitrati hac re ipsa effici, ut non solum folliculi sebacei, sed etiam tela conjunctiva magna materia exsudata cumularentur, statuerunt primum gigni tubercula, tum pustulas, acnen vero esse ponendam in exanthematis tuberculosis. Quam sententiam fieri non potest, ut ego quidem probem, cum medici recentiores hac re subtilius quaesita atque explorata ostenderint, pus nequaquam oriri inflammatione, sed ruborem illum atque tumorem tuberculorum effici purulentis in ima cute ortis. Neque egoquidem dubito, eis consentire, qui quaesiti, quae sit prima causa totius mali, quem ad modum hoc nascatur, id maxime repetierunt ex ductibus excretoriis folliculorum sebaceorum obstructis. Cum enim obstructione illa, ne sebum e folliculis sebaceis excedat, impediatur neque eam ob causam fieri possit, quin cutis sebo tamquam materiae alienae, ut ita dicam, repugnet eamque excutere intendat, per se, nisi fallor, sequitur, ut cutis ipsa inflammetur. Neque minus necesse est, ut tela conjunctiva in pus vertatur et ita cutis rubescat et intumescat atque omnia certa acnes indicia atque vestigia appareant, cum ductibus illis excretoriis folliculorum obstructis et sebo in eis residenti alimenta telae conjunctivae subducantur. Ut vero me non fugit, aucto-

res recentiores plane inter se consentire alios acne vehementius atque gravius urgeri, alios leviter tantummodo aegrotare, ita etiam nemo negare poterit, inter illos esse controversiam de hac re, quae et quantae sint spies hujus morbi, nisi qui ignorat, Batemannum distinxisse species acnes quatuor, „simplicem, punctatam, induratam, rosaceam," Fuchsium tres „vulgarem, mentagram, rosaceam," Alibertum sex hasce „Varum sebaceum, miliarem, frontalem, hordeolatum, disseminatum, guttam roseam, mentagram," Biettium hasce quatuor, „acnen simplicem, induratam, rosaceam, sebaceam." Et revera ex eis, quae hi viri judicaverunt de variis acnes speciebus, satis apparet, non solum medicos Brittanicos, sed etiam Gallicos et Germanicos discessisse in sententiam illam, quam primus Willanus proposuit, acnen rosaceam et morbos, qui folliculis sebaceis inflammatis efficiuntur, ejusdem esse generis. Huc accedit, ut in libro illo, quem nuperrime Virchovius edidit eique inscriptum est „Specielle Pathologie und Therapie", Hebra, vir artis genera exanthematum cognoscendi peritissimus, distinxerit acnen disseminatam et mentagram et rosaceam. Attamen ne putes Hebrae sententiam plane eandem esse ac virorum illorum; nam non solum confirmavit, sane inter illos morbos esse similitudinem quandam et alium alius naturam multis rebus attingere, sed etiam demonstravit, eos aliis rebus inter se plane differre, qua re idem non dubitavit, de eis quasi morbis diversis disputare. Nam inter viros anatomia pathologica eruditissimos constat, acnen disseminatam effici purulentis in ima cute ortis, quae jam supra diximus sebo in folliculis sebaceis obstructis residente et cutem irritante nasci. Acne vero mentagra, cum in singulis tuberculis folliculus pilorum

perspiciatur in eoque parvulus abscessus, effici mihi videtur folliculis pilorum inflammatis. Ego quidem non dubito quin Langer quaestionem de vera causa folliculorum horum inflammatorum difficillimam rectius quam Gruby, Bazinius, Koebnerus et plane vere dissolverit. Non solum enim neque Gustavus Simon neque Hebra agnovit ullum vestigium fungorum illorum, ex quibus Gruby, Bazinius, Koebnerus folliculos inflammatos repetierunt, sed etiam mihi persuasi, fore ut sententia a Langero proposita, acnen mentagram effici pilis mutatis, eo magis probetur atque confirmetur, quo accuratius et diligentius in hac re microscopo inquisitum erit. Acnes rosaceae denique non est dubium quin jam priores auctores aliquam notitiam habuerint; satis enim constat, eos imprimis Lorrejum accuratius exposuisse, quibus causis hic morbus efficeretur et quibus indiciis agnosci posset, ex eorumque numero alios hujus morbi genus partitos esse in species, ut Plenkium, qui novem posuit species hasce „guttam rosaceam simplicem, oenopotatorum, hydropostorum, febrilem, pernionalem, herpeticam, syphiliticam, lactentium, variolosam, alios ut Nicolaum Florentinum vel diversos distinxisse gradus. Neque minus certum est, eos non ita procul abhorruisse a sententia illa, quam primus Hebra pro certo affirmavit, acnen rosaceam plane differre ab acne disseminata atque acne mentagra. Et ego quidem tantum abest, ut huic sententiae Hebrae repugnem, ut ei plane consentiam. Cum enim inter omnes constet, acnen rosaceam effici vasis dilatatis ramificatisque, tela conjunctiva commutata atque folliculis sebaceis hypertrophia affectis, per se apparet, hunc morbum plane diversum esse ab acne disseminata atque ab acne mentagra, et permirum sane esse mihi videtur, quod usque ad hoc tem-

pus nomen illud minus commodum acnes rosaceae alio et naturae morbi illius magis conveniente non est permutatum.

Acnen rosaceam autem temporibus antiquissimis, imprimis temporibus veterum Graecorum et Romanorum plane non exstitisse, parum verisimile esse mihi videtur; namque non solum in scriptis auctorum Arabicorum inveniuntur, quibus, nisi fallor, hic morbus designatur, sed etiam negari non potest, neque Graecos neque Romanos voluptatibus epularum et imprimis vini plane abhorruisse. Et quamquam ab auctoribus ipsis Graecis et Romanis hic morbus ne verbo quidem commemoratur, mihi tamen persuasi, apud illos populos non defuisse, qui non ita dispares fuerint Pompilio illi, cujus nasus in epigrammate verbis rem certe in majus augentibus „cubitos tres longus et unum latus" describitur. Qua re non dubito, an non minus recte judicemus, re vera acnen rosaceam jam inde a temporibus antiquissimis exstitisse, quam certum est, medicos Graecos et Latinos eam neque in morbis posuisse neque in ejus naturam inquisivisse neque remedia huic morbo adhibenda cogitasse.

Descriptio morbi.

Non minus vera, nisi fallor, est sententia eorum, qui judicaverunt haud raro eum, qui semel acne rosacea affectus est, per totam vitam ea teneri, quam negari non potest, nobis hunc morbum ipsum non imminere nisi certa vitae aetate. Quicunque vero acne

rosacea affectus est, fere nunquam hujus morbi indicia atque vestigia in alia ejus corporis parte exstant nisi in vultu et imprimis in naso, unde malum sensim per malas sive per frontem sive per mentum serpit, et perraro fit, ut tota ejus facies eodem tempore hoc morbo corripiatur. Neque vero quemquam, qui partes corporis acne rosacea affectas diligentius atque accuratius observavit, fugere potest, in eis cutem nimis rubere, id quod mane minus apertum est, die crescente vero magis magisque in promptu est et maxime in oculos cadit, cnm aegrotus movendo nervos corporis contendit aut voluptatibus epularum et Bacchi se dedit. Et sane saepe fit, ut cognoscamus et intelligamus, unde ille rubor insignis ortus sit, cum plerumque non sit difficile perspicere, non solum venulas, quae in cute sunt, aliquantum esse dilatatas et multo flexu per cutem effundi, sed etiam reticulatim dispergi et sanguine abundare. Ille rubor vero quin nulla alia re efficiatur, quam sanguine ipso non est dubium; usu enim cognitum est, eum, in quacunque vultus parte residet, eodem temporis momento evanescere, quo nos seu digito partem illam aliquamdiu prementes seu alia ratione sanguinem, ut ita dicam, aditu ad eas venulas, quae sunt in parte vultus morbo affecta, interclusimus. Et mihi quidem persuasi fieri non posse ut sanguis in venis sit ita copiosus, nisi locis cutis illis, qui morbo affecti sunt, a folliculis sebaceis solito plus sebi secernitur, qua re ipsa mihi videtur effici rubor ille splendidior, qui locis illis animadvertitur.

Ceterum ne putes cutem, simul atque morbo affici coepta est, vehementius atque nimis intendi aut tumere, neque ineunte morbo sane est, unde ipsi con-

jicere possimus, quod periculum nobis immineat, nisi eas partes, quae morbo affectae sunt, occasione extrinsecus oblata, imprimis cibo luculento sive vino aliove fortioris spiritus liquore largiore sumpto sensimus majori calore atque aestu laborare. Usu vero cognitum atque probatum est hanc leviorem acnes rosaceae speciem saepius inveniri in foeminis quam in viris, quamquam negari non potest, nonnunquam foeminas quoque acriori hujus morbi specie affici. Namque non solum a folliculis sebaceis, qui sunt in partibus morbo affectis, plus sebi secernitur, sed etiam haud raro illis inflammatis gignuntur tubercula rubra in eisque pustulae, quae tum in crustam fusci coloris vertuntur et ita acne disseminata accedit ad acnen rosaceam. Quo facto plerumque tubercula, quae exstant, non omnino discutiuntur, sed etiam alia oriuntur et cutis plusve minusve condensatur.

Morbo illo autem cur rarum sit, ut vultus foeminarum modo magis horribili deformentur, non est difficile intelligere, cum non solum usu satis compertum atque cognitum sit, revera rarissime inveniri foeminas vinosas, sed etiam satis constat, acnes rosaceae, prout aliquis vino aut vino adusto largiore utitur, habitum esse quibusdam rebus diversum et variam amplitudinem. Hebra enim non modo recte judicavit et confirmavit, in vultu eorum virorum, qui vino adusto immodice dediti sunt, vasa dilatata et sebum plus solito secretum, quae sunt indicia atque vestigia acnes rosaceae propria, non inveniri nisi in naso et cutem ibi obtinere colorem naturalem calore paullo imminuto; sed etiam facere non possumus, quin probemus, quae Hebra de acne rosacea judicavit, vultum eorum virorum, qui vino largiore utuntur, fere totum affici

acne rosacea, colorem oris esse ruberiorem illis ipsis locis, quibus vasa dilatata et ramificata oculis cernere non possumus, atque totam faciem tumere. Neque minus recte Hebra docuit, acne rosacea nonnunquam nasum solum affici eamque efficere, ut nasus ita intumescat, ut ejus latitudo fere respondeat longitudini, quo facto facile cernere possumus tam ductus excretorios singulorum folliculorum sebaceorum dilatatos quam singulos folliculos inflammatos et tubercula ex eis orta. Idem vero Hebra recte cognovit planeque intellexit varias illas acnes rosaceae formas, quas modo diximus, minime esse diversos gradus hujus mali, sed in primo statu eas alternare easque respondere diversis causis, quibus morbus ipse oritur. Sunt autem status acnes rosaceae primi indicia atque vestigia propria vasa dilatata, et infiltratio cutis atque levis tantum inflammatio folliculorum sebaceorum, e quibus solito plus sebi secernitur.

Nemo vero ignorat periculum esse, ne nasus modum in horribiliorem deformetur, si malum illud per nonnullos annos quem occupavit neque per hoc tempus remedia adhibita sunt ad illud tollendum atque removendum apta. Facile enim fieri potest, ut cute nasi tumida oriantur tubera, quae nos dicimus „fleischige Excrescenzen." Hisce plerumque est forma haemisphaerii modo majoris modo minoris eique efficiunt, ut pars illa oris prominens aliquantum amplificetur, forma nasi propria non omnino sublata. Hebra vero judicavit, ex naso ita deformato, ut omnes diametri plane fere aequabiliter crescant, secundum gradnm mali initium capere.

Tertium denique gradum illius mali Hebra censuit cognosci ex eis, quibus nasus in modum saepius

sane monstrosum et horrendum deformatus est, seu in omnes partes, seu in unam tantum partem intumescit ejusque magnitudo ingenti incremento augetur. Nescio autem an non alienum sit hoc loco mentionem facere nasi Pompilii illius, qui traditur tres cubitos fuisse longus et unum latus. Quamquam enim haec narratiuncula a veritate paullulum abhorrere mihi videtur, tamen fieri posse, ut nasus incrementa capiat incredibilia, satis apparet ex verbis hisce Senerti „Sumunt tubercula ista interdum incrementum, ut facies inaequalis et horrida evadat, ut nasus valde augeatur. Vixit superiori adhuc anno non procul a Dresda vir, cui hoc malo affecto nasus ita incrementum sumpsit, ut eum in legendo impediret, quod malum ipsum eo adegit, ut anno 1629 particulas quasdam de naso sibi amputari curaret.“ Huc accedit, ut Hebra quoque hominem quendam viderit, cujus alae narium, ut ita dicam, pugillares os texerunt, qui naribus altera manu elatis altera pulverem sternutatorium naso adduxit. Haud raro autem nasus ita deformatur, ut priorem ejus formam atque speciem naturalem agnoscere non possimus. Ego quidem memini me aestate praeterita in nosocomio chirurgico Halensi virum videre, cujus in naso tamquam montes altitudine diversi assurgebant, eique tumores sex tolli, quorum uni fuit magnitudo juglandis, duobus nucis avellanae, duobus fabuli, minimo pisi. Tubera autem hujus generis graviora non est rarum, ut pondere depremantur et ita pediculum sumant. Denique negari non potest, in hoc tertio morbi statu non minus quam formam sane variam esse speciem nasi acne rosacea affecti habitumque folliculorum sebaceorum. Ille enim sive justo modo rubore infectus est sive ei color minusve magisve ruber suffusus est. Hi autem

sive plus sebi secernunt sive simul oriuntur tubercula illa acnes disseminatae propria.

Jam vero descriptione acnes rosaceae ad finem perducta restat, ut paucis verbis mentionem faciam involutionis illius spontaneae, quam Hebra haud raro observavit et judicavit effici resorptione sive obliteratione vasorum sanguiniferorum et minus alitorum, unde Hebra censuit fieri, ut cutis gangraenescat eaque de causa decidat. Sed quamquam Hebra sane est auctor gravissimus et certissimus, tamen nescio an hanc involutionem spontaneam pro eis, qui acne rosacea laborant, jure judicemus esse sane singulare quiddam et rarum. Nam non solum Cazenave et Fuchsius et alii ejus nullam mentionem fecerunt, sed etiam e numero non ita exiguo virorum, quos acne rosacea affectos videndi occasio mihi data est, nemo, quantum scio, involutione spontanea ab illo morbo liberatus est.

De aetiologia morbi.

Primum in animis volventes atque considerantes, quae de hac re auctores scripserint, facile cognoscemus, inter eos sententiam pervulgatam fuisse, hoc malum saepius oriri e praedispositione quadam hereditate accepta, qua haud raro, imprimis rebus morbo opportunis ex occasione oblatis, jam in adolescentibus utriusque generis judicaverunt malum illud effici. In numero autem rerum morbo illi maxime opportuna-

rum omnes omnium temporum scriptores imprimis statuerunt potum fervidioris spiritus liquorum intemperatum. Quam rem, etiam ratione illius praedispositionis non habita, esse causam praecipuam acnes rosaceae ortae non minus ab omnibus, nisi fallor, auctoribus nostrae aetatis quam a medicis veteribus probatur. Tum vero apud omnes veteres auctores est, hoc malum oriri posse ex organis chylopoëticis perturbatis, quamquam haec sententia locis illis, quibus ea proposita est, non satis plane et clare explicata est. Deinde autem negotiis quibusdam, quae hominem cogunt, ut caput perpetuo inclinet, praesertim si illud simul summo calori objectum est, vehementibus animi contentionibus, continuo usu variorum cosmeticorum effici putarunt acnen rosaceam. Denique frigida aqua corpere calido potata aut nasi vi frigoris ambusti causae acnes rosaceae habitae sunt, quin etiam Plencius commemoravit genus hujus morbi speciale, cui nomen dedit guttae rosaceae pernionali. Quas diversas atque plerumque falsas sententias expediisse et causas aetiologicas, quae nunc notae sunt, in talem ordinem redegisse, ut facile perspici possint, laus est Hebrae. Primus enim proposuit magni esse momenti utrumque genus hominum hoc morbo affici, tamen ita, ut viri alio aetatis vestigio ac foeminae huic morbo maxime obnoxii sint. Cum enim viri maxime post quadragesimum vitae annum morbo illo corripiantur, idem in virginibus atque mulieribus aut tempore pubertatis aut annis climactericis nascitur, illis igitur vitae partibus, quibus genitalium muliebrium commutationes gravissimae efficiuntur. Huc accedit, quod in foeminis et tenerae et provectioris aetatis habitus acnes rosaceae nullo fere tempore plane idem est, sed ea saepe diebus menstruationis ineuntis in-

gravescit, evanescit autem virgine in matrimonio collocata.

Has omnes res animis complectentes atque acnen rosaceam, ut jam supra exposuimus, in utroque genere esse diverso habitu cogitantes — in foeminis enim solus invenitur primus morbi status, in viris autem praeter hunc etiam secundus et tertius status — facere non possumus, quin Hebrae sententiam probemus, causas hujus morbi esse plane diversas in utroque genere. In virginibus et mulieribus Hebra dicit se diligentissime atque accuratissime observavisse acnen rosaceam maxime effici functionibus genitalium muliebrium turbatis, id quod ille plane recte judicasse mihi videtur. Si enim foeminas ita aegrotas non solum de mensibus in universum percontati sumus, sed identidem ex iis inquisivimus singula, quae tempore mensium accidunt, semper fere observatione per aliquod tempus continuata indicia atque vestigia menstruationis quibusdam rebus enormis agnoscemus experti eis esse sive amenorrhoeam, sive menses tenuiores sive profusiores sive saepius repetitos. Cum vero hae res oriantur genitalibus muliebribus interioribus enormiter affectis, acne rosacea orta ipsa non tam ex menstruis enormibus quam ex illis genitalibus enormiter affectis repetenda est eaque de causa id nobis maxime agendum est, ut morbos interiorum genitalium muliebrium clare cognitos plane tollamus, tum vero non solum justam menstruationem efficiamus, sed etiam acne rosaceae medeamur. Ceterum Hebra in paucis earum foeminarum ipsarum, quas ei licuit speculo inspicere et digitis accuratius investigare, statum uteri mutatum sane invenit aut duritiem abnormem portionis vaginalis aut attritas et purulentas partes orificii uteri; in aliis autem non satis luculenter

causas hujus morbi cognoscere potuit. Multo vero rarius nobis continget, ut causas menstruationis enormis et acnes rosaceae explorationibus illis accuratis omissis perlucide perspiciamus, quoniam usque ad hoc tempus minime ita cognita sunt symptomata genitalium muliebrium morbo affectorum, ut statim ex eis certum aliquem morbum conjicere liceat. Atque in hac re acnen rosaceam similem esse hysteriae Hebra recte docuit, quum causae hujus non minus lateant quam illius. Quin etiam facere non possumus, quin Hebrae consentiamus, qui acne rosaceae virginum et mulierum, cum saepe eisdem causis gignatur quibus hysteria, fundamentum tribuit hystericum.

Alteram causam acnes rosaceae esse potum fervidioris spiritus liquorum immodicum jam saepius commemoravi et per se apparet, ex aetate et constitutione singulorum hominum esse dijudicandum, num quis sit modicus an immodicus. Jam supra in descriptione morbi satis exposui, habitum acnes rosaceae esse quibusdam rebus diversum, prout aliquis vino aut liquore fervidioris spiritus largiore utitur, eamque in oenopotatoribus esse multo ampliorem, quam in eis, qui vino adusto immodice dediti sunt. Cum autem idem Hebra, ut mihi quidem videtur, recte docuerit, formam illam acnes rosaceae ampliorem minus effici vinis fervidioribus Hungariae et Hispaniae, quam vinis Rheni et Austriae, dubium non est, quin causam principalem hujus morbi jure statuamus esse non tam liquorem acriorem, quam copiam acidi tartarici et olei aetherii, quae res in his multo magis inveniuntur, quam in illis.

Jam vero mihi liceat pauca verba facere de aliis rebus, quibus acnen rosaceam effici medici veteres ju-

dicaverunt, quarum iidem magnum numerum proposuerunt. Haud raro enim revera homines acne rosacea affecti inveniuntur, qui minime liquoribus fervidioris spiritus ita indulgeant, ut vere affirmare possimus eorum intemperantiam esse causam morbi illius. Neque ego quidem dubito, quin vera causa repetenda sit ex negotiis, in quibus illi homines implicati coguntur, ora sua omni tempestati offerre. Simili modo cutem irritari Hebra censuit potu frigidae aquae continuo et effici acnen rosaceam, quam Plencius confirmavit se nonnumquam medicatum esse suadendo hydropotatoribus, ut vinum bibere inciperent.

Conantes autem ex hisce paucis momentis aetiologicis originem omnis semper acnes rosaceae repetere, facere non poterimus, ut saepissime et imprimis in hominibus tenerae aetatis acne rosacea correptis quidquam momentorum, quae modo attuli, investigemus et patefaciamus. Cum autem usque ad hoc tempus medicis non contigerit, ut alias hujus morbi causas investigarent, hoc loco a me impetrare non possum, quin posteris, qui medicinam exercebunt, etiam atque etiam commendem, de hisce aliis causis acnes rosaceae disputare in earumque investigatione summam operam collocare.

Diagnosis.

Cum jam supra notae acnes rosaceae propriae, vasa dilatata et amplificata atque folliculi sebacei hypertrophici et inflammati, satis descriptae sint, hoc

loco restat, ut paucis verbis mentionem faciam earum affectionum, quae, quamquam sunt notae aliorum morborum propriae, tamen periculum est, ne cum notis acnes rosaceae propriis confundantur. Jam enim in primo statu acnes rosaceae cum acne disseminata complicatae haud raro fit, ut malum effectum sit folliculis sebaceis et tela conjunctiva, qua illi cinguntur, inflammatis. Acnen autcm disseminatam, etiamsi in nulla alia parte corporis quam in vultu invenitur, plerumque celeriter evanescere cuti minime solito splendidiore rubore suffusa et apparere in alio loco vultus non minus constat, quam certum est, partem oris acne rosacea affectam perpertuo splendidiorem ruborem praebere et in eo, qui acne rosacea laborat, re diligenter explorata semper vasa dilatata et amplificata animadverti, quorum nullum indicium et vestigium usque ad hoc tempus in eis, in quibus acne disseminata affectis tubercula eisdem locis iterum iterumque orta sunt, est patefactum.

Praeterea Hebra praecipue admonuit, ut medici caverent, ne errori maxime inter foeminas late longeque diffuso, nasos esse frigore ambustos, temere fidem haberent, quoniam re vera rarum sit, ut nares frigore amburantur. Qua in re equidem Hebrae plane consentio; non solum enim numquam usque ad hoc tempus conspexi foeminas, quarum nasorum tnmor, color rubidus atque levis superficies vi frigoris effecta sunt, sed etiam nonnullas cognovi foeminas notis acnes rosaceae instructas, quae opinatae sunt illas notas oriri frigore.

Acne rosacea denique facile confundi potest cum lupo, quem morbum constat saeqe oriri non solum ex syphilide congenita sed etiam ex syphilide sec-